018

016

022

012

027

007

067

117

517

Ende

Anfang

Ulterius progressi per arbusta et virgulta varia suaviter redolentia ad unam venimus maceriam, in qua erat ostiolum parvum sed firmiter clausum cum repagulis et seris, juxta quod stabant custodes cum fustibus et baculis observantes, ne quis ingredi contenderet. Maceria autem illa circumdabat aream balsami nobilissimi, quod hac tempestate non nisi in ea crescit. Dicitur enim, quod regina Saba de India attulit Salomoni radicem balsami, quam in monte Engadi plantavit, ut dictum est P. I. f. 246. Postea transplantatum est ad varia loca, sicut patebit in descriptione balsami, quousque ultimo ad hunc devenit locum, et habetur sub bona et arcta custodia tamquam thesaurus singularis. Tamen miratus fui, tantum thesaurum non melius custodiri, deberet enim muro aureo cingi, vel argenteo, aeneo, aut ferreo, propter auream vim eam balsami et aurea poma horti illius. Legimus in poeticis figmentis, Jovem habuisse auream vineam sibi utique carissimam et mira diligentia custoditam; hanc Jupiter dedit Trojo pro raptu Ganymedis et per successum temporis devenit ad Priamum, qui audiens virtutes Euripili ad bellica, donavit vineam matri ejus, ut ei filium suum Euripilum mitteret in auxilium. Quae dono suscepto filium misit et multa hominum millia sunt occisa. Sic etiam in eisdem legitur, quod Hesperides, tres filiae Hesperi, habuerunt viridarium, in quo aurea mala nascebantur, cui custodem praefecerunt ingentem draconem pervigilem. Cumque hujus viridarii fama ad Euristheum pervenisset, pomorum desiderio tractus misit Herculem, ut mala illa surriperet. Qui veniens interemit draconem, hortum intravit et mala sustulit, atque Euristeo detulit. Hoc factum inter virtutes Herculis numeratur esse XIV. Sic profecto hortus ille meretur esse clausus et melius munitus (b). Igitur ante ostiolum stetimus ingressum praestolantes; accurrerunt autem foeminae custodum et parvuli postulantes a nobis curtosias bibales et solvimus; deinde Trutschelmannus divisit nos in quatuor partes, quinos et quinos simul, nolens simul ut omnes ingrederemur, sed solum quinque simul et illis expeditis alii quinque ingrederentur egressis illis; prohibuit etiam, quod ingredientes non acciperent intus quidquam nec folia aut ramusculos decerperent aut vellicarent ad deportandum Patefacto ergo ostiolo assumsit Trutschelmannus quinque primos peregrinos et introduxit in aream, claudens ostium super se et ostendit eis plantulam pretiosam. Sic

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;